Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25955
Copyright: Admont, Benediktinerstift

Quid sit pro quo rogare debeamus dominum: ipse dominus per se dignatus est instruere. Non enim pro caducis et temporalibus super modum nos patitur orare, sed pro eternis et celestibus assiduis nos dominum vult interpellare precibus. Sed quoniam corpus nostrum servire debet spiritui, et non potest carere solatio et usu rerum temporalium, ideo succincte et modice pro his orandum est ut temporalibus non destituamur auxiliis, quatinus rerum temporalium presidio suffulti debitum creatori nostro possimus persolvere obsequium. Pro eternis autem et celestibus optinendis vim quandam deo debemus inferre, et ut voluntas eius bona et perfecta in nobis perficiatur obnixius deprecari, sicut et in oratione dominica dicimus. Fiat voluntas tua sicut in celo et in terra. Voluntas domini est, ut consortes et coheredes regni eius efficiamur, et eius iocunda visione in eterna vita perfruamur. Quod si oramus fideliter, sine dubio in eterna vita fiet nobis. Ipse ergo pater luminum, a quo omne datum optimum et omne donum perfectum descendit, qui docet hominem scientiam, doceat nos quomodo in ipso manere debeamus, ut post erumpnas et labores huius exilii, quandoque in patria adimpleat in bonis desiderium nostrum. Qui cum deo patre et spiritu sancto vivit et regnat per omnia secula SECULORUM. AMEN.

SERMO IN VIGILIA APOSTOLORUM PHILIPPI ET IACOBI.